



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **De Breviario Concionatorio, Strenæ, Fidelis Prophetissa Concionibus de B. M. Virgine serviens, Conciones Occurrentes & Funebres**

**Tylkowski, Wojciech**

**Oliva, 1686**

XVII. Beatam dicit Virginem Jechonias; quia est Fructus bonus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51821](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51821)

17. Beatam dicit Virginem Jechonias  
Quia est Fructus bonus.

Postquam Deus in captivatem Babylonicam permisit abduci Judæos cum Jechonia, ostendit eos *Jerem.* 24. sub imagine calathi pleni bonarum ficuum. Pergit Deus ibid. *Sicut ficus hæ bonæ, sic cognoscam transmigrationem Juda, quam emisi de loco illo in terram Chaldæorum in bonâ, & ponam oculos meos super eos ad placandum, & ædificabo eos & non destruam, & plantabo eos & non evellam.* Promissio facta Jechoniæ, sed in Virgine completa, in Christo Jechoniæ Successore: tunc siquidem DEUS supra Judæos posuit oculos in bonum, manum ædificationi admovit, plantavit novum surculum.

Illud: *Cognoscam in bonum & ædificabo* s. Th. in *Jerem.* 24. exponit, Cognoscam vos scientiâ approbationis. Illud vero, *ædificabo*, in altum elevabo vos sicut in ædificio. Virgo autem ædificata est in templum Deo. s. *Germ. Orat. de Nativ. B. V.* Commune totius mundi gaudium ex justis hominibus Joachim & Anna exortum nobis est, laudatissima nimirum illa, omnisq; planè reprehensionis experta Virgo, quæ sola propter eximiam dignitatis præstantiâ, verè rectèq; animatum Dei Templum facta est. Malarum alioqui ficuum calathus Jechonias, per calathum bonarum ficuum explicatur. *Lycanus* ideò putat in *1. Matth.* comparatum bono calatho: Quia fidem datam Nabuchodonosori servavit. At vero à tota *Ecclesia* cantatur, Virgo fidelis. s. *Hieron.* ob id factum putat in *24. Jerem.* Quia Deo Jechonias obedivit: Audiens enim ille Ioremiam Dei nomine imperantem ut se Nabuchodonosori traderet; acquievit. At quid obedientius Virgine? Nata est in stabulo teste *Damasc. lib. 4. de fide c. 15.* ut ovis, quæ nata est pastoris præceptis & obedientiæ symbolum. Sunt ficus bonæ, sunt ficus malæ, & bonæ per malas perficiuntur. Narrat enim *Plin. lib. 15. c. 19.* Caprificum hoc est sylvestre ficum proferre vermes, qui morsibus bonas ficus aperiant, & lacteum illarum succum absumunt, ficus verò aperta solem intus recipit & sic dulcescit. Multi non dulcescerent nisi à malis præmorsis fuissent. Jechoniæ ficus duces erant, dulcior fructus Virginis. Fructus ejus Virginitas voto signata sine exemplo. *Bein. serm. 3. in Missis.* Virgo est Primiceria Virginitatis, numera fructus orationis, fidei &c. sed super omnes alios Benedictus Fructus ventris ejus. Sub ficu vidit Christus Nathanaëlem, sub his ficibus multi sunt, qui alias non viderentur. Jechoniæ nomen s. *Hieron.* interpretatur in *c. 22. Jerem.* Domini præparatio, seu dispositio, quia exemplo suo disposuit ac præparavit populum ad subeundam captivitatem:



Magis verò disposuit populum ad accipiendam legem Christi. Iechoniæ nomen componit *l. c. Hieron.* ex Jah & honias. Jah est nomen Dei contractum ex Jehorab, ut advertit *Lorinus in psal. 67.* Per Iechoniam enim nomen Dei Babilonijs innotuit: per ejus enim transmigrationem *Daniel e. 2.* inclaruit apud Nabuchodonosorem & filium ejus Balthasarem, per hanc apud Dariam *Dan. 6.* tum Zorobabel *3. Esdræ 4.* tum Hester *e. 2.* tum Mardocheus *e. 10.* tum Ezechiel *e. 4.* quasi ficus bonæ ex calatho prodeuntes.

8. Beatam dicit Virginem Salathiel.

Quia est Dulcior.

Salathiel Princeps populi Iuda multis alijs modis sed etiam loco nascens Virginem nostram dicit Beatam, is natus est loco alieno, utpote in exilio, & Virgo in stabulo. Salathiel nocte conveniens Esdras Sacerdotem magnum querit. *Quare vultus tuus tristis?* tristabatur verò Esdras ob captivitatem populi sui, non poterat enim sicis oculis videre suæ gentis mala. Ante natam Virginem totus mundus erat captivus. *Psal. 41.* seipsum David interrogat. *Quare tristis es anima mea, & quare conturbas me?* tristitiæ causam præmisit. *Quemadmodum desiderat cervinus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad Deum, sicut vivit anima mea ad Deum vivum, quando veniam & apparebo ante faciem Dei mei?* *Cbrysost.* Fria sunt que dilectionem & desiderium solent accendere, pulchritudo, beneficia & amor. Hæc omnia tria abundè sunt in Deo. Ipse enim teste *Aug. in Confess.* Pulchritudo nova & antiqua. Beneficia & amor patent. Solatur se David: *Spera in Deo quoniam adhuc confitebor illi, Salutare meum, & Deus meus.* Virgo Deum seu Salutare, id est Iesum, hoc enim Iesus significat, pariet. *Damaso. Orat. 1. de Nativ.* Joachim & Anna tanquam spirituales montes dulcedinem stillaverunt. *Ecbertus Abbas, de prec. ad Virg.* O pia, ô magna, ô amabilis Maria, tu nunquam sine dulcedine tibi in fite memoriæ portas ingrederis. Excitans Esdras Salathiel, *an nescis,* inquit, *quod tibi creditus est Israel in regione transmigrationis eorum.* Virgini totus orbis est creditus. *Ephrem. de laud. Virg.* Vallum est fidelium mundi que Salus Virgo. *4. Esdræ 5.* Salathiel hortatur Esdras. *Exurge & gusta panem.* *epiph. orat. de laud. Virg.* Virgo est Clibanus & Mensa, gusta Munde panem qui in Virgine paratur, in Virgine proponitur. *Gerson.* Hæc est Mater Eucharistiæ, hæc Clavigera cellariorum Regni pacifici: idcirco *Bernardus orat Virginem in salve.* Ciba hodie pauperes tuos De